

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

divina, nec quiequam obstare, quo minus Magistratus pro re nata in eorum bona, vitam & fortunas animadvertere possit. In criminalibus, personalibus & civilibus eandem esse omnium subditorum rationem. Idque juris divini & humani esse ajunt, provocantes ad universalitatem dicti *Rom. XIII. 1. omnis anima potestatibus subdita sit.* (α)

(α) Jam olim hunc locum Carolus Calvus Rex Gallie contra Adrianum II. in Epistola ad Pontificem urgebat, ut videre est in Catalogo testium veritatis pag. 942. Hodie autem a clero Gallicano ad nauseam usque inculcatur, sicubi de negotiis Regalia questio est. Et sane universalitati Apostoli rectissime insistant, secuti Bernhardum, qui ad Archiepiscopum Senonensem Epist. XLII: Si omnis, inquit, anima subiecta debet esse, Ergo & vestra. Quis vos exceptit ab universalitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.

§. XII.

Porro Pontifici Romano tantum licere in Reges ac Principes imo & Imperatores, ut eos si quidem in heresin incidant, aut Romane sedi sese opponant, de regno deturbare, possessionibus suis expellere, subditos autem juramento fidelitatis solvere possit, non tantum Roma docuit, sed & facto comprobatum voluit. Eademque sententia licet in Concilio Tridentino non sit expressa, conformis tamen illis est (α) contra vero nunquam Gallia eo simplicitatis aut superstitionis progressa est, ut huic doctrinae papali assurgeret, quin potius eam partim seditiosam, partim Scripturae contrariam, & in Majestatem Regum injuriam, partim etiam Babylonis, hoc est, Anti-Christianismi notam interpretata est, ut infra ex historia Philippi Pulchri, Henrici II. Ludovici XII. patebit. (β)

(α) Certe hanc doctrinam Concilio Tridentino conformem esse credidit olim populus in Gallia; nam & hec ipsi causa erat, cur publicam Concilii receptionem nollent, quam etiam non ante admiserunt, quam Clerus istam hypothesein aboleret. Verba Grammondi lib. 1. ea de re hec sunt: Creditum tunc

tunc, potuisse conciliari opiniones Cleri & populi facta quasi compensatione: nempe si clerus articulum tertii ordinis admitteret, negantem Summo Pontifici jus esse in regna: eo casu populi assensu salvam fore in Gallia doctrinam Tridentini.

(B) Anno 1615. in Comitibus Gallie publicis ventilata est haec quaestio, & in utramque partem docte graviterque agitata: An summus Pontifex potestatem in Reges obtineat? Ordo Ecclesiasticus perorante doctissime Perronio Cardinale vindicabat summo Pontifici in Sceptra Regum potestatem certis casibus, nempe si in heresin aut idolorum cultum prolapsi subditorum animis nova insinuent dogmata, seu quod pejus, si reluctantes adigant, ut fidem abdicent. Contrariam opinionem novam esse, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam. In suam vero sententiam exactis seculis itum, iri & hodie passim toto orbe Catholico NB. si Galliam demas. Sed contra etertio ordine ad Clerum delegati dixerere. Pontificis potestatem in regna circa temporalia nullam esse. Christum ipsum diversas habuisse a gladio claves, Petrum, ubi in arma etiam juste proruperat, gladium mittere jussum in vaginam, ne qui restaurandis instituebatur, truncaret membra. Mansuete post regnasse Ecclesiam, cui imperium est in volentes. Allegabant quoque Christi responsum Pilato datum: Regnum meum non est de hoc mundo. Itemque illud: Reddite que sunt Caesari, Caesari. Provocabant etiam ad Paulum, qui verbis & facto docuerit, Regibus impressum esse desuper characterem, quo suprema in subditos potestate jus dicant. Assensere Lutetiani Parliamenti Patres, nec multo post vulgatum confirmanda sententia placitum in hanc summam: Rogante Procuratore Regio Senatus censuit, pro lege politica regnoque fundamentali habendum posthac, quod Rex Galliae unius DEI beneficio regnet, quod neminem in temporalibus agnoscat, quod factum ipsius caput sit, ita ut nemini jus sit eum quocumque praetextu occidere. Vid. Grammond. lib. 1. Histor. p. m. 68.

§. XII.

Quaestio est, ut opinor, magni momenti, An matrimonia citra consensum Parentum contracta irrita sint & num Parentes ea rata vel irrita facere possint. Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. 1. de Reform. negativam tuetur, definiendo: Matrimonia

D

abs-